L. CORNELII SISENNAE HISTORICI ROMANI VITAM CONSCRIPSIT CAROLUS LUDOVICUS ROTH

Karl Ludwig Roth



L. CORNELII SISENNÆ

HISTORICI ROMANI



VITAM

CONSCRIPSIT

CAROLUS LUDOVICUS ROTH

PHILOSOPHIÆ DOCTOR.



A. P. CH. N. MDCCCXXXIV.

BASILEÆ,

IN LIBRARIA SCHWEIGHAUSERIANA TYPIS A. WIELANDI, TYP. ACAD.

§. 1.

QUOD FUERIT INTEGRUM SISENNÆ NOMEN.

Prænomen quidem Sisennæ[1]) *Lucius* certis testimoniis nititur Ciceronis, Sallustii, Asconii Pediani.[2]) Nomen gentile, de quo nulla scriptorum

---

[1]) Ita, duplici litera N. nomen exstat in editis scriptoribus Latinis; in numis antiquis unica, ut Porsena hodieque edunt. Priscis enim temporibus usitatissimi moris fuit, semivocales non geminare, teste Quintiliano et veteribus monumentis, in quibus scriptum sæpe est Sula, Luculus, Cina al. De numis Sisennæ nomen exhibentibus vide *Ursinum* de famil. Rom. p. 75. ed. Patin. p. 91. *Havercamp.* ad Morell. fam. p. 131 sqq. *Raschii* lex. rei num. T. I. p. 974. T. IV. p. 1150. A Græcis utroque modo scriptum hoc nomen est. Utrumcunque rectius se habet, media syllaba producenda est, quum palimbacchium --◡ *Sisenna* expleat apud Ovid. Trist. II, 443.

Vertit Aristiden Sisenna (al. *Sisena*): nec obfuit illi etc.

Illud quoque adnotandum, Græcos non constare sibi in appingendo huic vocabulo accentu, si quidem et *περισπωμένως* et *παροξυτόνως* efferunt. Occurrunt igitur apud illos hae formæ: nomin. Σισέννας Dio Cass. XXXVI, 2. Σισένας Laur. Lydus de magistr. III, 74. Σισεννᾶς cod. Vatic. Appiani Mithrid. 95, ubi *Schweigh.* edidit Σισεννᾶς — genit. ΣΙΣΕΝΝΑ in inscriptione, quam exhibui §. 3. III — accus. Σισενναν Plut. Lucull. 1. cf. *Matthiaei* gramm. græc. p. 147. — Sisennæ nomen derivavit *Havercampus* l. c. ἀπὸ τοῦ σισύρου i. e. προβάτου cf. *Scalig.* ad Varr. R. R. II, 1, 10; stolidius etiam *J. Pontedera* in scriptt. R. R. ed. Schneid. T. I. P. I. p. 352 comparavit nomen Porsenæ, utrumque *filium Henæ* s. *Ennii* explicans (*por* = puer; *sis* = ὗς i. e. υἱός.)

[2]) Cic. Verr. act. sec. II, 45, 110. IV, 15, 33. 20, 43. pro Cornel. I. fr. 18. Brut. 64, 228. Sallust. Iugurth. 95. Asc. Ped. ad Cic. Corn. l. c. Accedunt testimonia Appiani et veteris S. C., de quibus infra est disputatio.

auctoritas tradidit,[3]) post *Corradi* dubitationem plerique omnes[4]) *Cornelium* fuisse statuerunt, argumentis inducti, quibus id recte effici infra patebit. Est igitur plenum ejus nomen *L. Cornelius Sisenna.*

§. 2.
QUANDO NATUS SIT SISENNA.

De constituenda Sisennæ ætate quum tam parum inter viros doctos convenire deprehendissem, ut XXX amplius annorum esset discrepantia, nolui dubiis, qui sunt aut quos illi fecerunt, scriptorum locis sententiam meam probare, sed ita rem ingrediendam putavi, ut e comparatis ætatibus amicorum Sisennæ probabilia quædam de ipso conjectans, certam normam statuerem, ad quam dirigeretur illorum locorum interpretatio. Itaque per inductionem a similitudine veri ad verum progredior.

---

[3]) Nam apud Festum s. v. *scrupei*, ad quem locum temere provocavit *Vossius* de hist. lat. (sequuntur *Wassius* ad fragm. et *Krausius* in vitis histor. p. 300) nomen Cornelii ab *Ursino* (1581) suppletum fuit, non sine aliqua audacia, quum nullibi præterea historiarum Sisennæ apud Festum occurrat mentio. (Nam illud Pauli s. v. *mediterreum* e libris Sisennæ grammaticis petitum est.) In codice exstabant solæ literæ: corne . . . . . . IV: his etc.

[4]) *Corradus* ad Cic. Brut. p. 344 (a. 1552) nescire se fatetur, quanam potissimum e gente L. Sisennam ortum putet, Corneliane an Gabinia an Statilia, quibus id cognomen familiare fuisse deprehenderit. In numis gens Apronia plebeja et Valeria Messallarum idem cognomen Sis. habet cf. *Rasche* T. IV. p. 1151. Ita *Riccobonus* (a. 1568) et *Colerus* (a. 1599.) in colligendis fragmentis L. Sisennam nude nuncupant. Sed jam *Turnebus* ad Cic. de legg. 1, 2, 6 (a. 1557) et *Pighius* in annalibus ex Dione Cassio (cf. S. 3. II.) *Ursinus* et qui eum sequuntur *Glandorpius*, *Popma*, *Vossius* cet. ex inscriptione (cf. S. 3. III.) Cornelii nomen addiderunt.

Atque illud nomen Cornelium neque adoptione neque manumissione (Appian. B. Civ. I, 100. Liv. *Freinsh.* LXXXIX, 34.) nostro contigisse, sed gentile esse a majoribus patriciis traditum, comprobat locus Livii XXXIX, 45, 2. 5. ubi P. Cornelius Sisenna memoratur prætor urbanus, anno u. c. 570.

I. Sisennæ amici.

1. Apud Ciceronem Brut. 75, 260. *T. Pomponius Atticus* Sisennæ se ipse familiarem dicere fingitur. Atqui natus est Atticus a. 644 cf. Corn. Nepos Att. 21, 1. 22, 3.

2. Cicero de legg. I, 2, 7. ejusdem Attici verbis Sisennæ amicum nominat *C. Licinium Macrum*[5]) historicum. Is Attico certe non inferior ætate fuit.[6])

3. Duos Sisennæ amicos[7]) commemorat Plutarchus Lucull. 1. *L. Lu-*

[5]) Macri nomen restituit ingenium *Sigonii* ad Cicer. fragm. (a. 1559.) (edit. opp. omn. T. VI. p. 726 sq. Murat.) Codices absona exhibent; nisi quod *Riccobonus* de hist. edit. Basil. 1579 p. 164. in quodam vetere libro m. scr., et *Ursinus* in notis in omnia opp. Cic. Antw. 1581. p. 59. in margine editionis a viro quodam doctissimo cum Mspto collatæ Macri nomen exstitisse produnt, non satis fidi auctores. *Sigonii* conjecturam omnes fere recentiores probaverunt.

[6]) Macer enim, quum filium susceperit Calvum a. 671 Plin. h. n. VII, 50. trib. pl. fuerit a. 680 Sall. hist. III., repetundarum post præturam damnatus a. 687 Cic. ad Att. I, 4. Plut. Cic. 9. Val. Max. IX, 12, 7. Liv. Freinsh. C, 6. 7. recte videtur Cic. Brut. 67, 238 inter Hortensii Ciceronisque ætatem interponi; si quidem post a. 644 natus esse non potest cf. *Weicherti* poett. latt. rell. p. 93—105.

[7]) Narrat Plutarchus, Lucullum juvenem (νέον ὄντα) quum apud Hortensium causidicum et Sisennam historicum sermo ex joco in serium (ἐκ παιδιᾶς τινος εἰς σπουδὴν) esset delapsus, bellum Marsicum oratione Græca conscribendum suscepisse. In qua quidem narratiuncula quo minus illos Luculli magistros dici putes, impedit non solum Hortensii inferior ætas et Luculli ab adolescentia literarum colendarum studium cf. e. gr. Cic. acadd. pr. II, 1., sed ipsa Plutarchi verba amicorum illud colloquium fuisse arguunt. Habitum a. 665 fuisse statuo. Scilicet confecto bello Marsico, in quo militaverat Lucullus νέος ὢν Plut. Luc. 2. (eidem bello interfuit Hortensius Cic. Brut. 89, 304; forsitan et Sisenna) Romam ad obtinendam quæsturam reversus cf. *Pigh*. T. III, p. 233. statim insequenti a. 666 cum Sulla profectus est in Asiam, unde a. demum 673, quum absens esset ædilis factus Cic. acadd. pr. II, 1, 1. Plut. Luc. 1. fin. *Pigh*. p. 277. in urbem rediit. Verum illo tempore, quum jam non juvenis νέος dici posset, sequitur, ut modo finitum bellum sociale literis consignandum sumserit.

Ceterum multos post annos ea trium virorum familiaritas integra perstitisse videtur. Cum Hortensio enim disputationibus academicis et alteri dialogo Tulliano, cui

cullum et *Q. Hortensium*, quorum hic a. 659 natus est Cic. Brut. 64, 229. ille aliquot etiam annis antea.[8])

Cum his viris, quos modo enumeravimus, non fortuito sed iisdem colendarum literarum studiis contracta est nostro familiaritas, si quidem illi æque ac Sisenna causas orabant plerique;[9]) cuncti, id quod vel majus est, historiarum libros reliquerunt.[10]) Exinde haud leve nobis accedit argumentum, cur illorum ætati conjunctum et circa eadem tempora natum (annis 635—644 circumscribuntur amicorum natales) statuamus Sisennam.[11])

---

nomen fuerat Hortensius, interfuit Lucullus; cum eodem Verris causam defendit Sisenna cf. infra §. 5.

8) Cicerone et Pompejo a. 647 natis cf. *Pigh.* ad eum a. Lucullus *aliquot* annis major fuit Cic. acadd. pr. II, 19, 61. Plut. Luc. 36. i. e. annis certe XII, ut e magistratibus licet colligere. Consul enim fuit a. 679, eum quidem magistratum non suo anno, sed paulo postea adeptus Plut. Luc. 1. s. fin.

Lucullus quo anno mortuus sit quum nusquam traditum reperiam, indicare h. l. juvat. In vivis erat, habita Ciceronis pro Flacco oratione a. 694 cf. 34, 85., imo insequenti etiam anno Val. Max. VII, 8, 5 coll. Cic. ad Att. III, 20 (a. 695.) Mortuus erat habita oratione de provinc. consul. i. e. a. 697. cf. 9, 22. Itaque diem obierit a. circiter 696.

9) De actis a nostro causis vide infra. Hortensius ab a. 658 usque ad mortem a. 703 in patronorum numero fuit Cic. Brut. 64, 229. Lucullus ex oratorum quidem numero relegatur a Tullio Brut. 62, 222. sed adolescentiam eodem teste acadd. pr. II, 1, 2. in forensi opera consumsit, et circa idem tempus, de quo not. 7. diximus, cum M. fratre consobrino Servilium augurem accusasse videtur Cic. acadd. l. c. de offic. II, 14, 50. de prov. cons. 9, 22. Plut. Luc. 1. De Macro videndi Cicero Brut. 67, 238 et Sallustius hist. III. Solum Atticum causas oravisse compertum non habeo.

10) Atticus et Macer universas res Romanas annalibus complexi sunt; Lucullus belli Marsici Græco sermone composuit historias Plut. Luc. 1. Cic. ad Att. I, 19. Hortensius annales condidit Vellej. II, 16. Cic. ad Att. XII, 5. nescio num totius historiæ Romanæ an partis.

11) Frustra obloquitur *Weichertus* l. c. p. 102. qui quidem, quum multa bene disputaret, tum in explicanda Sisennæ et Attici familiaritate, quos, illius ætate nimis retracta, an-

II. Testimonia e Ciceronis Bruto petita.

In Bruto Cicero bis Sisennæ mentionem ita collocatam fecit, ut de ejus ætate possit accurate judicari. Altero enim loco 74, 260 post C. Cottam natum circiter a. 629,[12] sed ante Jul. Cæsarem, qui natus est a. 654, Sisenna interponitur. — Apertius etiam altero 64, 228 inter duas P. Sulpicii et Hortensii ætates ita interjectus fuisse dicitur, ut minor illo, hoc major esset. Jam quum Hortensius a. 639 natus sit, Sulpicius annis fere X. antea, sequitur ut interjecti Sisennæ annus quasi 634 natalis sit putandus.

Id quod quum manifesto verbis expressum sit, conatus tamen nuper est *Weichertus* l. c. p. 99 sqq. falsis de ætate Sisennæ opinionibus inductus, alium substituere sensum ac de tempore, quo causas agere cœperit, ita explicare, ut hominem Sulpicio plus quam XXV annis natu majorem post illum ad forensia accessisse dici putaret. Ejus opinionis rectene vir doctus aliunde petierit argumentum, infra videbimus; at e Cicerone ne umbram quidem ejus modi confingere licet. Nam quod eo ipso loco, de quo est disputatio, non multi laboris dicitur Sisenna, id ipsa verba probant ad accurate subtiliterque elaborandas orationes, non, ut ille voluit, ad literarum studia sero et segniter instituta spectare. Verum quum Cicero in circumscribendis oratorum ætatibus accuratissimus esse soleat, ita ut quos Sulpicio 49, 182 facit æquales, quæsturas a. 656—660, præturas a. 666—673; Hortensius cum æqualibus 64, 230. a. 669—673 quæsturas, a. 679—684 præturas reperiantur obtinuisse cf. *Pighii* T. III., quum vel suam ætatem ab Hortensii, quo VIII. tantum annis erat minor, discernat: necesse est, ut Sisenna, cujus, nulla restrictione adjecta, ætas inter Sulpicium Hortensiumque interposita fuisse

nis XL. dispares statuerat (nam de Macri, Luculli, Hortensii amicitia nescio quam ob causam non miratus sit vir doctus) suis ipse se torsit difficultatibus.

[12]) Nati sunt C. Cotta et P. Sulpicius, prope æquales, de orat. III, 8, 31 cf. I, 7, 25. annis X. ante Hortensium Brut. 88, 301. i. e. circiter a. 629 Brut. 64, 229.

traditur, eodem plane modo, quo ceteri dicuntur æquales i. e. et patrociniis suscipiendis et vitæ annis, altero natu major altero minor dici existimetur.[13])

III. Velleji Paterculi testimonium.[14])

Ad recte constituendam L. Sisennæ ætatem quum quæ hactenus disputavimus ita judicium informent, ut ambiguis testimoniis lucem affundant, contraria, si quæ apud inferioris notæ scriptores inveniantur, vel elevare valeant, interpretanda nobis sunt Velleji verba II, 9, 5. quæ multis adeo fraudi fuere, ut XXX. amplius annis Sisennæ ætatem retraherent. Scilicet eo loco Vellejus, quum in priore ejus libri parte rerum Romanarum ab a. 606 usque ad a. 645 succinctam suam perduxisset historiam, ita tamen ut postea cp. 10. ad a. 628 recurreret, brevem quandam ingeniorum, quæ illo temporum tractu, ut ipse loquitur, aut eloquentia aut carminibus aut historiis excelluere, inseruit notationem, verum tam laxis annorum terminis circumscriptam,[15]) ut ex oratoribus Serv. Galbam et P. Sulpicium, e poetis Pacuvium et L. Pomponium, ex historicis Cœlium Antipatrum et Valerium Antiatem *per idem ævi spatium* claros fuisse non dubitet pronunciare. Tam diremtis temporum finibus recte Sisennæ ætatem interponi quis est qui neget? Sed apertius Vellejum locutum esse volunt; dixisse enim bello Numantino (a.

---

[13]) Mecum fere faciunt *Vossius* in hist. lat., *Wetzelius* ad Brut. l. c. et *Krausius* l. c. p. 300. Jam *Sigonius* a. 1559 loco not. 5 cit. Sisenna, inquit, ut scriptum est in Bruto, fuit æqualis Hortensii.

[14]) *Schoberi* de loco Velleji II, 9 dissertatio Nissæ 1832 edita ad manus non fuit.

[15]) Quam parum accurate in notandis eminentium ingeniorum ætatibus egerit Vellejus, quum exiguo breviario universas res Romanas complexus, tum quod summos in singulis artium literarumque disciplinis antesignanos angusto temporum spatio coarctatos quasi fuisse persuasum sibi habebat, facile existimabit quicunque libri prioris cap. 17, alterius cp. 9 et 36 legerit et inter se contulerit.

619. 620) juvenem.[16]) Non affero Ciceronem, non admiror octogenarium Verris defensorem, non curo cetera, quæ de ejus vita supersunt abhorrentia plane testimonia. Ex ipso Vellejo istam opinionem falso peti arguo. Neque eam ad rem inquiro in Cœlii et ceterorum, quos cum Sisenna conjunxit, ætates; quippe quæ nomina, nisi etiam accusanda est scriptoris incuria, non tam ad definiendam nostri ætatem, quam ad scriptarum historiarum tempus spectare videantur.[17]) Sed *primum* hoc consentaneum est, historicos isto loco poetarum choro non immisceri, sed quem ad modum hi verbis *per idem ævi spatium* ab oratoribus, oratores formula *eodem tractu temporum* a rebus gestis discernuntur, eodem plane modo in historicis desiderari similem quandam locutionem, qua idem temporis spatium, eadem ætas significetur. Ea est particula „tum." Cui ut adderet alteram „jam" et Sisennæ „juvenis" mentionem, id inde factum explica, quod historicorum illius sæculi principem Cic. Brut. 64, 228 de legg.; I, 2, 7. censui suo adjungere vellet, neque propter ætatis nimiam discrepantiam nisi juvenem posset.[18]) Sed fuerit tandem bello

---

[16]) Ita Vellejum interpretati sunt *Hanckius* de rer. Rom. scriptt. 1669 T. II, p. 21. *Saxius* onomast. I, p. 144. *Schweigh.* exerc. in Appian. p. 60. denique omnium doctissime *Weichertus* l. c. p. 99 sqq. qui quidem in ceteris, ut in primo errore constaret, acutius quam verius egit. Is Sisennam anno ferme 603 natum putavit.

[17]) Cœlium enim propterea nostro vetustiorem dictum esse, quod libros ante eum edidit, suadet Rutilii inter æquales Sisennæ commemoratio. Nam ille Rutilius, vix multo junior Cœlio quum fuisset, tamen vix multo ante Sisennam annales scripsit; ita ut id significasse putandus sit Vellejus, priore quam Sisennam tempore *scripsisse* Cœlium, eodem fere Rutilium, Quadrigarium, Antiatem. Qui quidem sensus, si modo est, crimini non obnoxius est. Nisi forte aliquis Vellejum in computanda Rutilii ætate falsum quam vocabulo *æqualis* latiori sensu usum statuere mavult. Non vehementer obloquor; nam et eo nomine importuna est Rutilii commemoratio, quod is vitæ tantum suæ Latinus scriptor (historias Græce edidit) omittendus erat inter Romanarum rerum conditores, patria lingua usos.

[18]) Quam ob rem Cœlium Sisennæ annis superiorem, arte inferiorem post illum commemoravit. Similiter inter oratores C. Cæsarem et P. Sulpicium maluit priorum ætati suc-

Numantino juvenis XVII. annorum.[19]) *Tum* secundo loco, qui possit idem aliquot post confectum bellum Sullanum annis (ita enim interpretantur) i. e. post LX. fere annos *senior* dici, qui grandævus et decrepitus erat, exemplis velim probari.[20])

Quibus argumentis permotus belli Numantini mentionem ex ipsa Velleji mente ad nostrum omnino non spectare persuasum habeo; sed id censeo voluisse, ut præclarissimum historiarum auctorem, qui tamen posteriori demum tempore nomen historiis nobilitaret, jam tum (c. a. 650) juvenem proderet fuisse Sisennam.

Abunde hac disputatione demonstrasse mihi videor, nullam plane causam esse, cur quæ locus Ciceronianus disertis verbis de Sisenna præcipit, convelli ac detorqueri patiamur; quippe quibuscum omnia, quæ deinceps proferemus variorum scriptorum testimonia præclare concinunt. Fuit igitur, dum meliora edoceamur, circa a. 634 natus.

§. 3.
QUOSNAM MAGISTRATUS ET QUONAM TEMPORE GESSERIT SISENNA.

Gessisse quidem, inde satis probabiliter colligas, quod ordinis senatorii

---

cessisse dicere, quam omnino non laudare. Igitur nostrum locum ita fere explicandum censeo: per eadem tempora clarus fuit historiarum scriptor Cœlius, quem tamen superavit ætate inferior, sed iis temporibus, de quibus loquimur, juvenis jam Sisenna.

[19]) Id enim facile concedo, juvenem dici posse adolescentem deposita prætexta XVII. annorum, id quod *Weichertus* statuit. Nam ut omissis aliis auctoribus cf. *Forcellin.* s. v. juvenis *et* ætas. Vellejanum loquendi usum expromam, apud eum juvenes dicuntur: II, 10 Cn. Domitius duobus ante consulatum annis; II, 14 M. Drusus tr. pl. qui Ciceroni de off. I, 30, 108. est adolescens; II, 9 Marius et Iugurtha, quo tempore ille annum XXV. agebat (cf. Vellej. II, 18, 5. 6. 19, 2. vetus inscript. ap. *Orell.* nro. 543.; de Iugurthæ ætate nihil adhuc compertum habeo) denique II, 7 Fulvii Flacci filius, nondum XVIII. transgressus annum.

[20]) Quis sit senior explicantem lege Varronem ap. Censorin. de die nat. 14.

fuisse traditur a Varrone ap. Gell. II, 25 et Quintiliano inst. or. I, 5, 13.[21]) Quin ad præturam eum ascendisse locupletissimus testis est Cicero. Sed quibusnam annis tenuerit, id subtiliori disputatione conficiendum est.

Hac quoque in re, ante quam disjecta et ambigua scriptorum testimonia illustrare et consarcinare incipio, libet viæ quasi ducem veri quandam similitudinem e loco primario Cic. Brut. 64. assumere. Ubi quum interjecta fuisse dicatur nostri ætas inter ætates Sulpicii et Hortensii, magistratus etiam inter illorum interpositos fuisse, cum quadam probabilitate statuere licet. Jam quibus annis Sulpicii et Hortensii æquales quæsturis ac præturis functi sint, supra §. 2. II. perscriptum est. Eos numeros si ad mediam quandam summam computaveris et Sisennæ annos intermedios feceris, circiter a. 664 quæstura, 675 prætura ei obtigisse videbitur. Quæ quidem fateor maxime dubia esse neque contra scriptorum auctoritates quidquam valere; sed si testimonia confirment, insigne id erit recte a nobis explicati loci in Bruto argumentum.

A. Quæstura Sisennæ.

Eam, conjectura ducti, in annum fere 664 fiximus. Dissentit plane *Pighius* T. III, p. 290, Sisennam a. 676 quæstorem faciens in Sicilia Libybetanum. Sed unde huic opinioni argumenta petiit? Laudavit Ciceronem in Verrinis act. sec. II, 45, 110. Addo alterum locum ejusdem actionis IV, 20, 43. Ubi historicum quidem intelligendum esse, comprobatur non solum addito utrobique prænomine Lucio, sed eo etiam, quod defensorem Verris Cicero dixit. At nostrum causas egisse e Bruto constat. Sed de quæstura nihil in Verrinis monitum. Posteriori enim loco

---

21) Solebant enim censores honoribus usos in senatum legere cf. scriptores, quos citat *Creuzerus* in breviar. antiq. Rom. ed. 2, p. 122. De Sisenna auctores supra laudati id memorabile narrant, quod in senatu „assentio" dixerit pro „assentior." — Anno etiam 686 eum senatorem fuisse, infra §. 3. III. demonstratum est ex Appiani Mithrid. 94. 95.

Verres ante judicium Siculis, quibus Sisenna familiariter usus fuerat, erepta reddidisse traditur; unde patet, multos fuisse Sisennæ in Sicilia familiares. Altero loco, quem priorem posui, Sthenius Thermitanus, quo tempore (a. 680.) Verrem domo excepit, C. Marii, Cn. Pompeji, C. Marcelli, L. Sisennæ ceterorumque virorum fortissimorum hospes fuisse traditur. Exinde, quum illi plerique cum magistratibus in Sicilia fuissent,[22] iique quo ordine collocantur alius alio posteriores, recte *Pighius* conclusit, Sisennam post Marcellum a. 675, sed ante Verrem a. 680 in ea provincia sive quæstorem sive prætorem fuisse. Maluit quæstorem, quod prætorum post Marcellum usque ad Verrem nomina omnium suis annis exstare putaret. Malumus nos prætorem[23]) ut statim demonstratum ibimus. De quæstura igitur nihil compertum habemus.

B. Aedilitas Sisennæ.

Primam de eo magistratu suspicionem movit *Ernestius* in notis ad Cic. Verr. act. sec. IV, 15, 33. 34., ubi, quum L. Sisenna vir primarius (noster is est, quum Verre jam reo familiariter uteretur) ipsis ludis Circensibus convivium splendidissimum apparasse et pro dignitate sua homines honestissimos in domo excepisse dicatur, non obscurum ædilis ejus anni (683.) et editoris ludorum cf. Verr. V, 14, 36. de orat. I, 13, 57. al. exstare putabat indicium. Accessit nuper *Zumptii* in adnotationibus ad Verrinas assensio, qui insuper collegam Sisennæ addidit C. Anto-

---

22) C. Marium quæstorem a. 629 in Sicilia cum Sthenio familiaritatem contraxisse, putavit *Pighius* T. III, p. 47; infelicissime, si quid video. Nam Pompejus a. 671 in Siciliam a Sulla missus ad persequendum Cn. Carbonem, etiam tum vindicaturus erat illius hospitem cf. scriptt. apud Liv. *Freinsh.* LXXXIX, 1—6. Forsitan quum in Africam profugeret Plut. Mar. 40 aut Italiam repeteret, devertit Marius ad Sthenium. — C. Marcellus Siciliæ prætor fuit a. 675 *Pigh.* T. III, p. 281.

23) Prætorem quidem Siciliæ a. 676 faciunt *Vossius* eumque secutus *Wassius* in fragm.; sed id casu, non argumentis factum est; nam *Pighium* male exscripserunt.

nium.[24]) Sequitur *Krausius*. Cui conjecturæ quo minus calculum adjicerem, impediverunt et rationes de vita Sisennæ subductæ et ipsius Tullii silentium, quem puto vel illo loco vel alibi, quum in Verrinis de nostro loquitur, ædilitatis, si eo anno obtinuisset, mentionem additurum fuisse. Igitur de eo magistratu testimonia deesse nobis videntur.

C. Prætura Sisennæ.

De eo magistratu quum tam parum adhuc res liquida esset, ut alii in a. 675, alii 685, alii in utrumque fixerint, tutissimum factu videbatur, testimonia, in quibus ea disputatio versatur, ut supra instituimus, singulatim examinare ac perpendere.

I. Cicero pro Cornel. I. fr. 18 ed. Orell. T. IV, P. II, p. 450.

Prætorem fuisse L. Sisennam, urbanum[25]) nisi fallor, locupletissimus testis est Cicero in Corneliana priore a. 688 habita, ubi ne qua dubitatio superesset Asconius p. 156 ed. *Cren.* p. 73 ed. *Baiter.* adnotandum putavit, hunc esse L. Sisennam, qui res Romanas scripsit. Interjectam fuisse

---

24) Antonii quidem ædilitatem recte in eum annum fixit *Zumptius* (male *Ernestius* in clav. Cic. s. v. *competitrix* Ciceronis a. 684 ædilis collegam fecit, sui ipse oblitus cf. clav. hist. s. v. M. Cæsonius; sed id peccatum jam alii admiserant.) Prætor enim fuit a. 686., trib. pl. a. 681 fuisse videtur cf. Plebiscit. de Thermens. et *Dirksenium* in libro vernaculo: Versuche zur Kritik u. s. w. p. 158. 161. qui tamen temere *Pighium* incusat, quod illud monumentum neglexerit (cf. Pigh. III, p. 297.) oblitus, ut alii, illam Pighiani libri partem, quæ est p. 305—322 ab *Andr. Schotto* indigne tam immortali opere suppletam esse.

25) *Mylius* quidem ICtus de præt. peregr. in *Reitzii* Theophilo T. II, p. 1086 sqq. alia de causa (cf. infra III.) peregrinum statuit, quippe qui et ipse annua consueverit edicta proponere. Mavult *Reitzius* ib. p. 1181. urbanum, quum aliis argumentis, de quibus postea, tum eo permotus, quod h. l. nomina sint mere Romana, neque illo tempore peregrinus quisquam neque ex testamento neque ab intestato civi succedere potuerit in bonorum possessione. In quo quidem posteriore egregie falsus est vir doctus cf. *Savignium* in: Zeitschrift für geschichtl. Rechtswissensch. T. V. p. 229 sqq. 1825.

eam præturam inter annos 672 et 686 ipse locus demonstrat. Significat enim Cicero, quam tulit legem C. Cornelius tr. pl. a. 686, ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent cf. Ascon. arg. in Corn. p. 58 *Bait.* Dio Cass. XXXVI, 23 p. 19 D., eam legem, si prius valuisset, prohibituram fuisse, quo minus ambitiosi prætores passim ab edictis suis propositis recedere in jure dicendo soliti, multa injuste agerent. Post alia injustorum ejus modi judiciorum exempla Cn. Dolabella traditur honestissimum quendam virum communi et quotidiano jure privasse, *denique* L. Sisenna homo illorum et vita et prudentia longe dissimilis, sed tamen in gratificando jure nimis liber, bonorum Cn. Cornelii[26]) possessionem ex edicto suo P. Scipioni adolescenti summa nobilitate, eximia virtute prædito non[27]) dedisse. Illud *denique*, quod non ad augendam rei invidiam facere, sed novissimum tempus significare videtur, suadet, ut Sisennam prætorem posteriorem fuisse statuam Dolabella, qui præturam urbanam a. 672 obtinuit Cic. pro Quint. 8, 30. 31. *Pigh.* T. III, p. 265. 282. Accuratius quid haud satis tuto e Tulliano fragmento elicias,[28])

[26]) Eum Cn. Cornelium ignoro. Sed vix recte statuit *Ernestius* in cl. Cic. esse Cn. Dolabellam cos. a. 672, qui vixit etiam a. 676. *Pigh.* III, p. 286. Certe si is esset, sententia mea de anno præturæ Sisennæ non constaret. Fortasse e familia Scipionum fuit, id quod suadet P. Scipionis hæredis nomen.

[27]) Ita editiones Asconii vetustæ; *Manutiana* et insequentes ejecerunt vocem *non*, restituit *Baiterus.*

[28]) Poterant quidem, qui a. 685 Sisennam prætorem faciunt, ejus opinionis argumentum investigare in sequentibus Tullii verbis, sicut in prioribus editionibus exstabant, quæ miror ab *Reitzio* neglecta. Ita edebatur: idque vir is doctissimus...... (i. e. Sisenna; ait *Orellius*)...... duorum consulum designatorum calamitate..... Hæc enim calamitas accidit a. 687. Sed nuperi Asconii restitutores *Madvigius* et *Baiterus* loco emendato Sisennæ illud indicium et laudem sustulerunt, et ea verba ad aliam plane rem pertinere docuerunt. — Contra meæ ego sententiæ, quæ est, XIII. ante habitam Cornelianam annis i. e. 675. prætorem fuisse Sisennam, ex præcedente fragmento 17 *Orell.* argumentum petere possum non contemnendum, se de quo postea S. 4, ubi in mortem nostri inquisivi, agam.

sed argumentis aliunde petitis disquirendum est, in quemnam potissimum annum 672—686 figenda sit Sisennæ prætura.

II. Dio Cassius XXXVI, 2. p. 8 Steph.

Loco Dionis supra scripto Cornelius Sisenna a. 686 quo gestum est cum piratis bellum, Græciæ præfectus ὁ τῆς Ἑλλάδος ἄρχων fuisse narratur. Eum quidem nostrum esse infra docui, ubi de ejus morte disputatio est. Sed nego præturæ annum, quem quærimus, illic indicari, id quod putaverant *Pighius* T. III, p. 290 et *Reitzius* ad Theoph. excurs. IX.[29]) Fuit ~~enim Sisennæ non ex S. C. Achaja~~ decreta provincia, sed Pompeji jussu contra piratas illæ regiones custodiendæ[30]) cf. Appian. B. Mithr. 95. Liv. *Freinsh.* IC, 29—31. Unde apparet, ex illa Achajæ prætura non publica sed privata nihil effici posse ad definiendam Sisennæ urbanam.

---

29) Ita enim *Reitzius* ratiocinatus est, Sisennæ ut plerisque ex prætura urbana provinciam obtigisse; eamque urbanam a. 685 gestam dici a Cicerone in Corneliana. Eandem videtur *Pighius* viam ingressurus fuisse p. 290 cf. p. 337; certe edidisset a. 685. prætorem urbanum, si illam operis partem ipse consarcinasset; qua de re temere ejus oblivionem incusavit *Reitzius*.

30) Pompeji duces, quorum unusquisque in tam amplæ provinciæ parte quadam imperium haberet, nominat ὑποστρατήγους Dio C. XXXVI, 6. p. 10. D. πρεσβευτὰς Plut. Pomp. 25. legatos et quæstores Plin. h. n. XXXVII, 6. legatos ac præfectos Florus III, 6, 6 sq. Accuratius Appianus B. Mithrid. 94. narrat, ex omni senatu quos dicant Romani legatos ἀπὸ τῆς βουλῆς οὓς καλοῦσι πρεσβευτὰς lectos fuisse a Pompejo XXV. attributis etiam insignibus prætoriis, στρατηγίας σημείοις, ita ut non nisi improprie prætores dicantur cp. 95: ὧδε μὲν αὐτῷ διετετάχατο οἱ στρατηγοί. Id quod comprobant etiam cetera Pompejanorum legatorum nomina, de quibus quidem certi quid poteram investigare. Nullum reperio eorum consularem, (nam L. Octavius non est cos. a. 678 cf. Plut. Luc. 6.) unum prætorium Pupium (nam ita recte emendant pro: Publium) Pisonem Hortensii æqualem Cic. Brut. 64, 230. de orat. I, 22, 104. et alterum forsitan L. Manlium Torquatum cos. 688. Consularem ætatem supergressus jam sed vix pro quæstore fuit Varro nat. a. 636 cf. *Græv.* ad Flor. 3, 6. *Schneid.* in scriptt. R. R. I. 2. p. 219

Tandem proferenda est nostra id est vera de anno præturæ sententia.

III. Vetus Sen. Cons. in corpore inscriptt. Gruteriano p. DIII sq.

L. Cornelii Sisennæ[31]) prætoris urbani et peregrini M. Lepido, Q. Catulo coss. a. 675 mentio fit in monumento æneo, cui inscriptum est S. C. de civitate Romana Milesiis quibusdam et Clazomeniis danda. Cui inscriptioni, quum neque desint ante *Gruterum* idonei testes *Ursinus*,[32]) *Brissonius*,[33]) *Sigonius*,[34]) neque suspicionem fraudulentæ fictionis aut verba

sq. Trib. pl. a. 681 fuerat C. Plotius Varus. Juvenes admodum erant Lentulus Marcellinus cos. 697., Metellus Nepos cos. 696., Cato Uticensis, duo Pompeji filii. De ceteris nihil statuere audeo. Sed id mihi videor intellexisse, prætoria ætate ex illis XXV. non multos fuisse, prætorios paucos; nostrum cum Varrone omnium fere natu maximos.

31) Eum nostrum esse neque negavit adhuc quisquam et post ea, quæ supra disputata sunt, vix negari potest.

32) Non semel *Fulv. Ursinus*, cui acceptum se debere S. C. monet *Gruterus*, in libris suis ejus mentionem fecit (ex. gr. ad Cic. Corn. I. in notis in omn. opp. Cic. p. 292 Antw. 1581. ad Sallust. Iug. 95. histor. I, fr. 1. in fragmm. historicc. p. 344. 349. Antw. 1595;) primam ni fallor in libro de famil. Roman. p. 75. Rom. 1577. ed. Patin. p. 91. Sed prima tantum modo verba S. Ci, neque ea invariata (nam ad Cornelian. l. c. rectam, quam edidit *Brissonius* recensionem, ad Sall. hist. l. c. eandem quam secutus est postea *Gruterus* mutilam exhibuit) in testimonium sive præturæ Sisennæ sive consulatus ibi descripti ita fere protulit: *in veteri S. Co, quod exstat apud me in ænea tabella incisum.* Sed solo *Ursini* testimonio fretus haud scio an quisquam viris harum rerum peritis de αὐθεντία persuaserit cf. *Orell.* inscriptt. collect. p. 66: „ita ut de omnibus, quas ei soli (*Ursino*) acceptas referimus inscriptiones, dubitandum censeam.“ Sed accedit

33) Gravis *Barnabæ Brissonii* auctoritas in libro de formulis pop. Rom. II, 137. p. 221. ed. Conr., qui liber a. 1582 primum editus est. Is *illud*, inquit, *S. C. ære fixum Romæ hodieque exstat*; et integrum melius *Grutero* et Græca primus in lucem edidit.

34) Antiquissimus, quem investigare poteram, hujus monumenti testis est *Carolus Sigonius* de antiquo jure prov. I, 1. quem librum a. 1560 edidit. cf. *Murator.* in Sigon. vita in ejus opp. omn. T. I. p. XVII. et de judiciis I, 7. a. 1574. Exhibuit is S. C. La-

aut indoles moveant,[35]) nullam prorsus causam esse video, cur fides denegetur.[36])

Ejus igitur S.Ci (altera enim pars, quæ literis Latinis perscripta fuerat, maximam partem interiit; altera quæ Græca est, integra fere permansit) prima verba hujus modi sunt:

Επι. υπατων. Κοιντου. Λυτατιου. Κοιντου. υιου. Κατλου.
και. Μαρκου. Αιμιλιου. Κοιντου. υιου. Μαρκου. υιωνου. Λεπιδου.
στρατηγου. δε. κατα. πολιν. και. επι. των. ξενων.
Λευκιου. Κορνηλιου . . . . . υιου. Σισεννα[37]) κ. τ. λ.

Disceptaverunt ~~viri docti, verba illa~~ στρατηγοῦ δὲ κ. τ. λ. sintne vertenda: prætore inter cives et peregrinos i. e. peregrino, an, id quod pluribus jure placuit: prætore urbano et peregrino.[38]) Sed id inter omnes

tine tantum, sed e Græco exemplo, quod apud *Brissonium* est, (non adjecit a quonam) conversum atque suppletum.

[35]) Non pauca e scriptoribus Latinis cum S. Co consona attulit *Brissonius* l. c., plura illustravit doctissimus *Dirksenius* dissert. de plebisscito de Thermensibus in libro vernaculo: Versuche zur Kritik und Auslegung u. s. w. Leipz. 1823 p. 142—187. Laudavit quoque e recentioribus *Creuzerus* in breviar. antiq. Rom. p. 190 edit. 2.

[36]) Nemo, quod sciam, fictitium esse monumentum pronunciavit; neque ignoravit, sed ut multa alia sibi importuna neglexit *Weichertus* l. c. p. 102. Omnium maxime miror, quod apud diligentissimum talium monumentorum auctorem *Pighium* nulla hujus S. Ci exstet mentio.

[37]) Ita legitur inscriptionis principium apud *Brisson.*; consentit accurata apud *Sigon.* versio. Neque aliter *Ursin.* ad Cicer. p. 292, nisi quod in extremis, omissa voce *υἱοῦ* neque indicata lacuna, continuo junxit *Κορνηλίου Σισέννα.* Sed alio libro de fragm. hist. p. 349 in linea secunda omisit duas voces *Κοΐντου υἱοῦ.* Repetiit vitium *Gruterus*, addito insuper turpi mendo typographico *Λεπίδου* pro *Λεπίδου.* — Ceterum de inversis consulum nominibus vide *Aegyptium* ad S. C. de Bacchanal. in Livio Drakenborchiano T. VII p. 198 sqq.

[38]) De sola juris dictione peregrina intellexit *Ursinus* et qui eum sequebantur *Gruterus* in corp. inscriptt. *Popma* in fragm. hist., *Mylius* de præt. peregr. in *Reitzii* Theoph. p. 1083 sqq. Rectius de utraque uni Sisennæ demandata *Sigonius* (nisi quod is altero loco

constat, prætorem fuisse nostrum a. 675. Eam igitur præturam, conjectura investigatam, præclare confirmatam monumento æneo, eandem esse, quam Cicero post XIII annos in Corneliana tetigit, persuasissimum mihi habeo.[39] Quo magistratu, quænam præter injustam, quam vituperat Cicero, actionem de bonorum Cn. cujusdam Cornelii possessione, egerit, nemo scriptorum tradidit. Sed ex urbana prætura Siciliensem sortitus obtinuit cf. supra A., neque quidquam obstare videtur,[40] quo minus a. 676 Siciliæ proprætorem statuamus Sisennam fuisse.

---

de judic. I, 7. contra suum ipsius sensum dixit: inter cives et peregrinos; id quod prætoris peregrini est cf. ex. gr. Liv. XLV, 16, 3 cum cp. 21, 1.) *Conradius* de præt. peregr. in parergis p. 12. 13. 17. *Heineccius* hist. jur. 1, 3. §. 55. *Reitzius* ad Theoph. exc. IX, p. 1181 sq. Multa duplicis præturæ exempla apud Livium exstant cf. *Mylius* p. 1089. *Conradius* p. 12 seq. Sed ex ultimis liberæ rei publicæ temporibus nullum præterea innotuit. Nescio enim, an recte *Pighius* a. 671. utramque juris dictionem Damasippo obtigisse tradat, quum alii urbanum faciant prætorem. Verum inscriptionis verba vix aliter verti se patiuntur, licet eadem de prætoribus vocabula apud scriptores Græcos non inveniam. Urbanum dicunt στρατηγὸν ἀστυνόμον, τὸν οἴκοι Dio C., τὸν ἐν ἄστει Appian., πολιτικὸν idem et Laur. Lydus; peregrinum ξενικὸν Dio C., ξενοδόκην Lyd.

39) Faciunt mecum viri docti inde ab *Ursino* omnes, præter *Reitzium* l. c. qui bis prætorem fuisse Sisennam arbitratus est, a. 675 urbanum et peregrinum, a. 685 urbanum, et Ciceronis verba ad posteriorem magistratum spectare putavit. Verum ea opinio quam destituta sit omni fundamento historico, supra demonstravimus. Atque ab ipso Cicerone in præcedenti ejus orationis fragmento præmonitum esse videtur, non adeo recentibus se usurum exemplis.

40) Monuit quidem contra *Vossium* casu mecum facientem *Reitzius*, illo anno Siciliæ prætorem fuisse auctore *Pighio* Cn. Norbanum (rectius erat: C. Norb.) cf. Cic. Verr. act. sec. III, 49, 117. V, 4, 8. Sed ipse *Pighius* non sine quodam admissi erroris sensu ita statuerat T. III, p. 288. Fraudi enim fuit falsa loci Verr. V, 4, 8 lectio: *in bello fugitivorum*, quam ne ab *Orellio* quidem castigatam, emendavit tandem ex optimis codd. *Zumptius*, scribens: *in bello sociorum*. Nam eo bello Siciliensis prætor fuit C. Norbanus, et quidem extremo, a. 665, teste Diodoro in fragmentis libri XXXVII, ubi pro Γαΐος Ὀρβανὸς scribendum Γ. Νωρβανὸς bene vidit *Wesselingius* cf. Liv. *Freinsh.* LXXX, 2.

§. 4.

QUANDO MORTUUS SIT SISENNA.

Luculentissimum de morte Sisennæ testimonium reliquit Dio Cassius, quum et locum et tempus, quo diem obiit et res tum ab eo gestas memoriæ proderet. Jam primum Cornelium illum Sisennam, Græciæ a. 686 præfectum, de quo Dio XXXVI, 2. p. 8 Steph., nostrum esse, id quod temere non pauci negaverunt,[41] extra omnem disputationem ponit locus, quem mihi gratulor primus in aciem testimoniorum produxisse, Appiani in Mithr. 95. Narrat is, fuisse inter legatos Pompeji, ad bellum maritimum ineunte anno 686 profecti Cic. Manil. 12, 35. *Lucium* Sisennam, cui obtigerit Achajæ et Macedoniæ custodia.[42] Fuit igitur is Pompeji legatus et Græciæ præfectus L. Cornelius Sisenna, id est historicus.

---

41) *Weichertus* l. c. p. 102 illum Dionis Sisennam perperam a quibusdam cum nostro confundi monuit, si quidem illius prænomen Cnæi fuerit non Lucii. Sed undenam id innotuit viro doctissimo? Scilicet secutus est *Fabricium* ad Dionem l. c. ed. Reimar. *Fabricius* citat *Glandorpium* in onomastico. A *Glandorpio* res redit ad *Ursinum*, qui in libro de famil. Rom. a. 1577 p. 75 ed. Patin. p. 91. cf. Urs. ad Sallust. Jug. 95. in fragm. hist. p. 344, denarium quendam argenteum protulit hisce literis inscriptum: Cn. Cornel. L. F. Sisena, et hæc adjecit verba: „denarius cusus fuit a Cn. Cornelio Sisenna, filio ut opinor, L. Sisennæ, qui historias scripsit, atque is est fortasse Cn. Cornelius, cujus acta in insula Creta, ubi etiam obiit, scribit Dio lib. XXXVI.“ Hæc erant satis modeste posita; sed pro certis arripuit *Glandorpius* eumque secuti ceteri. Abhorret tamen *Pighius*, qui T. III, p. 5 ad a. 620 numum protulit cf. *Vaillant* numi ant. T. I, p. 347. Sapientius utrisque *Eckhelius* nihil ad explicandum adnotavit. En habes exemplum, quam futiles non raro opiniones per manus quasi tradantur virorum doctorum, et quam accurate tibi ipsi singula sint examinanda. Fuerit ille Cnæus nostri filius, non repugno; sed non est ille Dionis. Adest contrarium Appiani testimonium.

42) Appian. l. c.: Πελοπόννησον δὲ καὶ τὴν Ἀττικὴν, ἔτι δ' Εὔβοιαν καὶ Θεσσαλίαν καὶ Μακεδονίαν καὶ Βοιωτίαν (ἐφύλασσε) Λούκιος Σισενᾶς (ita cod. Vat., *Schweigh.* N duplicavit.) Non exstat quidem Sisennæ nomen inter enumeratos a Floro III, 6. Pompeji legatos. Verum id non solum ille omisit; contra alia habet, Appiano prætermissa.

Tradit deinde Dio l. c. eum fuisse a Pompejo, sive Creticæ ille victoriæ cupidus erat, sive ut Q. Metelli sævitiam coerceret, in Cretam cum exercitu missum; sed clementia usum nihil ab illo impetrasse. Denique morbo in ea insula absumtum, habuisse in ductando exercitu succedentem L. Octavium, alium Pompeji legatum[43]) cf. Liv. *Freinsh.* IC, 48 sq. Statuimus igitur Sisennam, etiamsi non accederet aliunde testimonium[44]) a. 686. in Creta diem obiisse supremum.[45])

§. 5.
DE ELOQUENTIA SISENNÆ FORENSI. CONCLUSIO.

In annos igitur LII. fere vitam produxit Sisenna, non ignobilem domi et foris in rem publicam conferre solitus operam, magistratibus

[43]) Dio C. l. c.: *καὶ Κορνήλιος Σισίννας ὁ τῆς Ἑλλάδος ἄρχων ἦλθε μὲν ἐς τὴν Κρήτην, ὡς ταῦτ' ἐπύθετο καὶ παρῄνεσε τῷ Μετέλλῳ φείσασθαι τῶν δήμων...... νόσησας γὰρ ἐκεῖνος ἐτεθνήκει.*

[44]) Desideret aliquis Ciceronem testem, illorum temporum æqualem; sed haud scio an recte proferam. In libris post habitas a. 683 Verrinas, quo tempore in vivis etiam fuit Sisenna, ante conscriptos de legibus a. 700, in quibus mortuus esse dicitur, semel tantum nostri mentionem fecit Cicero, in fragmento Cornelianæ (a. 688) supra allato. Ubi ut solemus post luculenta testimonia in obscuris plus videre, mortui ante illum annum Sisennæ reperisse mihi videor indicium. Nam quum in præcedente fragm. 17. *Orell.* quod ad eandem de edictis prætoriis legem pertinere videtur, orator præmoneat, multarum rerum judicia perperam sublata se præterire, quippe quæ nota sint et ne quem in judicium oratio sua revocare videatur, putandus est fragm. 18. exempla e priore tempore, quorum memoria obscurior esset, et de prætoribus mortuis, quos in judicium revocare non posset videri, excitavisse. Uterque igitur, et Dolabella et Sisenna ante aliquot annos prætura functi et tum temporis mortui jam fuerint. Illius prætura ante annos fuerat XVI, hujus XIII. Hic mortuus erat ante annos II; de Dolabellæ obitu compertum non habeo, nisi quod a. 683 superstitem etiam fuisse suadere videtur prosopopoeia in Verr. act. sec. I, 30, 77.

[45]) Id monuerat jam a. 1557 *Turnebus* ad Cic. de legg. I, 2, 7. deinde *Pighius* T. III, p. 290. 337. et *Reitzius* l. c. p. 1182.

urbanis et provincialibus, prudentia senatoria, bellicis denique rebus gerendis. Sed neque a foro omnino abfuit, defendendis identidem causis (nam de accusationibus nusquam memoriæ proditum est) aliquam oratoris gloriam nactus. Non exiguæ ad eloquentiam ejus erant vires; adjuvare poterat doctrina et studiorum optimorum tractatio, in Latino sermone magna eruditio, rei publicæ usus, dicendi genus non inficetum. Sed neque laboris multi erat, nec satis versatus in causis. Deinde officiebat temporis sui iniquitas, quæ interjectum inter duas ætates P. Sulpicii et Q. Hortensii neque illius laudes consequi, neque huic non concedere patiebatur. Hæc in universum de eloquentia Sisennæ monet Cicero Brut. 64, 228. Unde recte colligas, fecisse eum ante a. 665, quo occisus est Sulpicius *Pigh.* T. III, p. 252. annos vix XXX. natum causarum agendarum initium, sed præ Hortensio, qui inde ab a. 658 per annos XLIV. in patronorum numero erat Brut. 64, 229. insignem existimationis oratoriæ locum ascendere non potuisse. Hinc factum est, ut in oratorum numero nunquam haberetur. Attic. ap. Cic. de legg. I, 2, 7. Sed tamen neque senioris obmutuit eloquentia. Defendit a. 683 cum Hortensio [46] C. Verrem repetundarum reum, patronus eo magis idoneus, qnod ipse in Sicilia diu commoratus fuerat, tanti a Verre habitus, ut ejus familiaribus ille quæ rapuisset, redderet Cic. Verr. act. sec. II, 45, 110. IV, 20, 43. cf. IV, 15, 33 sq.

Aliam etiam causam defendit C. Rutilii [47] cujusdam contra C. Rusium [48]

---

46) Hortensii illis in actionibus primæ fuerunt partes cf. præter Verrinas Brut. 92, 319.; verum non raro factum est, ut plures eandem causam susciperent agendam Brut. 57, 208 sq.

47) Erat fortasse is, qui Brut. 40, 147. Q. Mucio, occiso a. 671. familiariter usus fuisse dicitur, Bruto non ignotus. Ceterum alii corrupte edunt Chritilium s. Chirtilium.

48) Codd. *Rusius* s. *Ruscius*. Pighius ad a. 613 T. II, p. 485 correxit Erucius, probaverunt *Lallemandius*, *Schneiderus*, *Schützius* ad Bruti locum, et *Weichertus* l. c. p. 101., ita ut sit C. Erucius Roscii Amerini a. 673 notus iste accusator, qui multos etiam alios accu-

accusatorem, nescio quo anno, verum ut opinor, circiter annum 665.[49]) Cic. Brut. 74, 260.

Atque iis officiis publicis et forensibus magna cum prudentia ac plerumque innocentia[50]) administratis vir, nobilissima gente Cornelia ortus et re familiari non mediocriter pollens, eam sibi peperit dignitatem, ut in primariis et clarissimis illo tempore civibus haberetur Cic. Verr. act. sec. II, 45, 110. IV, 15, 33 sq. pro Corn. I, fr. 18.[51])

Ante quam ad alteram dissertationis nostræ particulam transgredimur, potiora de vita Sisennæ capita, in quæ supra inquisitum est, tanquam in tabulæ formam redigere libet.

L. Cornelius Sisenna

A. U. C.

circ. 634 natus est p. 4—10.

circ. 664 quæsturam obtinuit. Circa idem tempus causas forenses aggressus est C. que Rutilium defendit p. 11. 12. 21. 22.

---

sabat Rosc. Am. 29, 82 cf. pro Vareno fr. 8. ap. Orell. T. IV. P. II. p. 443. (a. 682?) et convenit quidem illud facete dictum homini a literis non alieno, pro Rosc. Am. 16, 46. Sed assensum cohibeo, quum neque *vetus* dici posset illo tempore, qui ne in Rosciana quidem ita audit et postea etiam accusavit, et vix credibile sit, Brutum non meminisse sive visi a se sive cogniti e Rosciana (offic. II, 14, 51) Erucii.

49) Non meminerat ejus rei Brutus natus a. 668 Cic. Brut. 94, 323. Tum Atticus, qui narrat, orationi interfuisse videtur. Atqui is, a. 666 Athenas profectus, post mortem demum Sisennæ i. e. anno 688 in urbem rediit Corn. Nepos Attic. 2, 2. 4, 5. Unde effici videtur, ut ante profectionem Attici C. Rutilium Sisenna defenderit.

50) Notat Cicero Corn. I, fr. 18. prætorem in gratificando jure nimis liberum et contra edictum suum judicantem. Et subiit mihi non semel animum, divitias, de quibus vide Verr. a. s. IV, 15, 33. adauctas ei fuisse ex administrata non sine furtis provincia Siciliensi cf. ib. II, 3, 8. Facere videtur ad hanc suspicionem contracta cum Verre familiaritas coll. act. pr. 14, 40. Habuerit ut in scribendis historiis ita in diripienda provincia succedentem Sallustium. Sed eam rem ut incertam consilio in notas conjeci.

51) Adde Vellej. II, 32, 4. qui Pompeji in bello piratico legatos fuisse scribit viros præclaros.

A. U. C.

circ. 665 ludum literarium cum Hortensio et Lucullo egit p. 5. 6.
a. 675 prætor fuit urbanus et peregrinus p. 15—18.
a. 676 Siciliam provinciam rexit p. 11. 12. 18.
a. 683 C. Verri contra Ciceronem patrocinatus est p. 21.
a. 686 legatus Pompeji Græciam custodiebat; in insulam Cretam transvectus diem obiit supremum p. 15. 19. 20.